



Institutiones Theologicae Ad Usum Seminariorum

Simonnet, Edmond

Venetiis, 1731

Art. 6. Utrùm peccatorum remissio sit effectus formalis justitiæ
inhærentis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-83614](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-83614)

seu de gratia, non habituali, sed actuali, qua indigemus ad exercendos actus salutares, qualis est contritio charitate perfecta, per quam justificationis beneficium consequimur.

Obj. 4. Virtutes theologicæ non disponunt sufficienter hominem ad finem supernaturalem, neque hunc finem reddunt homini connaturalem, & ipsam animæ substantiam non exornant immediate. Ergo præter illas, admitti debet forma sanctificans, quæ illos omnes effectus præstet. *R. neg. ant.* quoad omnes partes, Nam 1. virtutes theologicæ dant completam habilitatem ad operandum sicut oportet ad consequendum finem supernaturalem. 2. Immediate recipiuntur in substantia animæ, quam à potentiis suis naturalibus distinctam esse, malè supponunt adversarij. 3. Animam evehunt ad esse divinum, cui finis supernaturalis non potest non esse connaturalis.

Dices. Virtutes naturales non dant esse naturale, sed supponunt. Ergo similiter virtutes supernaturales non dant esse supernaturale, sed supponunt illud. *R. neg. conseq.* Nam virtutes naturales non dant posse operari naturaliter, sed illud supponunt. Ergo à fortiori supponunt esse naturale. Virtutes verò supernaturales dant posse operari supernaturaliter; unde nec mirum est, quòd etiam dicantur dare esse supernaturale. Sicut ergo anima dat homini esse naturale, & posse operari naturaliter; ita virtutes theologicæ dant esse supernaturale, & posse operari supernaturaliter; atque ita seipsas sunt illud esse supernaturale ac divinum, cujus sunt potentia.

ARTICULUS VI.

Utrum peccatorum remissio sit effectus formalis justitiæ inhaerentis.

PROPOSITIO.

Peccatorum remissio est effectus formalis justitiæ inhaerentis.

Prob. ex Concilio Tridentino. Nam 1. Synodus sess. 5. can. 5. definit, per Jesu Christi Domini nostri gratiam, quæ in baptismo confertur, reatum originalis peccati remitti, & tolli totum id, quod veram propriam peccati rationem habet. Atqui gratia illa, quæ in baptismo confertur, est inhaerens justitia. Ergo per inhaerentem justitiam, quæ in baptismo infunditur, reatus originalis peccati remittitur, & tollitur totum id, quod veram & propriam peccati rationem habet. Ergo inhaerens justitia exercet veram causalitatem circa remissionem peccatorum: non nisi formalem. Ergo, &c.

2. Synodus sess. 6. c. 7. docet unicam esse causam formalem nostræ justificationis, nempe justitiam inhaerentem. Ergo inhaerens justitia est causa totalis justificationis nostræ in linea causæ formalis. Ergo tota justificatio nostra est ab inhaerente justitia, ut à causa formali. Atqui justificatio nostra consistit ex parte in remissione peccatorum, ut docet Synodus eodem loco. Ergo remissio peccatorum est ab inhaerente justitia, ut à causa formali, adeoque, quod idem est, remissio peccatorum est effectus formalis justitiæ inhaerentis.

3. Denique, juxta Synodum eodem loco, justificatio nostra tam est ab inhaerente justitia, ut causa formali; quam est à Deo, ut causa efficiente; à merito Christi, ut causa meritoria, & à sacramento, ut causa instrumentali. Atqui justificatio nostra, etiam quoad remissionem peccatorum, est à Deo ut causa efficiente, à merito Christi ut causa meritoria, & à sacramento ut causa instrumentali. Ergo similiter, etiam quoad remissionem peccatorum, est ab inhaerente justitia ut causa formali.

Obj. Tridentinum sess. 6. c. 7. modo citato, dicit justificationem non esse solam remissionem peccatorum, sed & sanctificationem & renovationem interioris hominis, per voluntariam susceptionem gratiæ & donorum; & inferius, hominem cum remissione pec-

catorum infusus accipere fidem, spem & charitatem. Atqui hæc verba meram concomitantiam remissionis peccatorum cum infusione inhaerentis justitiæ significant, non aliquam causalitatem inhaerentis justitiæ in remissionem peccatorum. Ergo gratis asseritur hæc causalitas. *R. neg. conf.* Nam hanc causalitatem aliis verbis eodem capite, & alibi, nempe sess. 5. can. 5. evidenter significat Synodus.

Dices. Si remissio peccati est effectus formalis inhaerentis justitiæ, frustra Concilium dixit veniam peccatorum dari cum inhaerente justitia: manifestum enim est, data forma, dari effectum formalem. *R.* Concilium non dicit dari veniam peccatorum cum inhaerente justitia, sed cum venia peccatorum dari justitiam inhaerentem; ubi supplendum est, cujus ipsa peccatorum venia est effectus formalis.

Porro cum Synodus dicit cum peccatorum remissione infundi inhaerentem justitiam, solum intendit damnare sententiam hæreticorum, asserentium justificationem in sola peccatorum remissione consistere, adeoque negantium in justificatione infundi gratiam & dona, quibus homo sanctificetur & renovetur interiorius; contra quos docet Synodus, justificationem in duobus consistere, nempe in remissione peccatorum, & renovatione interioris hominis. Quorum duorum unum, nempe renovationem interioris hominis, disertè ait esse effectum formalem inhaerentis justitiæ, quæ in justificatione infunditur; de altero verò, nempe de remissione peccatorum, non negat, sed æquivalenter asserit; dicendo unicam esse causam formalem nostræ justificationis, nempe justitiam Dei, non qua ipse justus est, sed qua nos justos facit, & qua proinde nos purgat ab omni labe mortali: ejusmodi enim purgatio ad veram justitiam denominationem essentialiter requiritur.

Obj. In justificatione prius remittuntur peccata, quam infundatur justitia. Ergo remissio peccatorum non est effectus formalis justitiæ: nam si esset, prius infunderetur justitia, quam remitterentur peccata. *Neg. ant. Prob.* Tridentinum, cum loquitur de remissione peccatorum, & infusione justitiæ, primo loco ponit remissionem peccatorum. Ergo, &c. *R. neg. conf.* Concilium enim loquitur contra asserentes justificationem in sola peccatorum remissione consistere; & primo loco ponendo peccatorum remissionem, non aliud intendit dicere, quam præter peccatorum remissionem, consistendam etiam esse sanctificationem & renovationem interioris hominis, quæ esse non potest sine infusione inhaerentis justitiæ. Ad hoc autem necesse non est, ut dicantur peccata prius remitti, quam infundatur justitia. Et consistendo justificationem non esse solam remissionem peccatorum, sed & renovationem interioris hominis per infusionem justitiæ, possum dicere justitiam, quæ in justificatione infunditur, esse causam formalem non solum renovationis interioris hominis, sed etiam remissionis peccatorum, atque ita in justificatione justitiam prius infundi, quam peccata remittantur.

Dices. Sess. 6. c. 4. Synodus justificationem describit translationem à statu peccati ad statum justitiæ. Ergo ex Synodo, prius relinquitur status peccati, quam acquiratur status justitiæ. Ergo ex Synodo, prius remittuntur peccata, quam infundatur justitia. *R. neg.* hanc secundam conf. Aliud enim est, prius relinqui statum peccati, quam acquiratur status justitiæ; & aliud, prius remitti peccata, quam infundatur justitia. Itaque in justificatione infunditur justitia, per justitiam infusam remittuntur peccata; remissis peccatis, homo desinit esse in statu peccati, & incipit esse in statu justitiæ, quo pacto à statu peccati transfertur ad statum justitiæ, qui consistit in permanenti puritate ab omni peccato mortali; & intrinseca habilitate exercendi actus divini ordinis.